

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

34
Quod felix & faustum jubeat JEHOVA!
DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM

QUARTA

explicans

PARTIS GENERALIS

CAPUT TERTIUM,

De

ENTIS AFFE-

CTIONIBUS IN GENERE,

Quam

PRÆSIDE

M. SAMUELE Müller/

Gymnasii Suevo-Coloniensis

Petrini

RECTORE,

Ingenis exercendi gratiâ,

Provectoribus ejusdem Gymnasii Condiscipulis

suis ventilandam proponit

ad diem XVII. Decembris

Horis ab octavâ matutinis,

Anno Epochæ Christianæ

clō Ioc LVI.

MATTHIAS HEINZELIUS,

Briznâ Ungarus,

RESPONDENS.

BEROLINI, ex Officinâ RINGIANA. 10

*Ut à doctrina, ita à moribus commendatisimo viro Jurem,
Dn. Johanni Burio condiscipulo et amico amicorū amicis/*



ῥψω

ONTI ONTON

feu

D E O

U N O

V E R O

B O N O

PERFEGTO

Fautori, Promotori & Patrono studiorum
suorum ab ineunte ætate Munificentissimo, Magnificen-
tissimo, Benevolentissimo, perpetuoque amo-
ris & honoris religiosi cultu pro-
sequendo

*Has philyras Metaphysicas breves & exiles,
veluti*

Grati animi TEKMHPION

humillimè dicat & offert

*Matthias Heinzelius, Brizna-
Hungarus, Resp.*

PAR-

[Faint handwritten text at the bottom of the page]

PARTIS GENERALIS

CAPUT TERTIUM,

De ENTIS adfectionibus in genere.

I. PRÆCEPTA.

I.

Afectiones Entis sunt conceptus generalissimi
Ens transcendentaliter denominantes.

[Definitum sunt Afectiones Entis. vid. quæst. 1. & 2. *Materialis* sunt conceptus generalissimi. vid. quæst. 3. *Formale*, quo restringitur affectionum transcendentalium natura, est, *denominare Ens transcendentaliter*, intellectum scilicet, (non tam juxta statum *Universalitatis*, quam juxta statum *fundamentalem*) *Ens positivum, reale, actuale*, vid. quæst. 4, 5.]

2. *Dividuntur in unitas & disjunctas.*

(vid. quæst. 7.)

3. *Unitæ sunt, quæ simpliciter, & in sensu unito
Ens reciprocè denominant.*

Ita dico: Omne Ens est unum, est verum, &c. Et vice versâ: quicquid est unum, quicquid est verum, &c. illud Ens est.

4. *Suntq; in universum sex: Unitas, veritas, bonitas, perfectio, duratio & alicubitas: Quarum quatuor priores, primariæ; due posteriores, secundariæ dici possunt. Vid. quæst. 11. & 12.*

5. *Disjunctæ sunt, quæ in sensu disjuncto Ens reciprocè denominant. Uti: actus & potentia; Principium &*

A 2

princi-

principiatum, &c. Dico enim: Omne Ens est vel actus vel potentia; & vice versâ: quicquid vel actus est vel potentia, illud Ens est.

2. PROBLEMATATA.

1. *An dentur affectiones Entis?*

Resp. Affirmatur. Negari enim à Doctis nullâ veritatis specie potest, prædicata dari communissima, quæ de quovis Ente ita enunciari possint, ut tamen non ipsam Essentiam præcisè exprimant; sed Ens quodammodò modificent. Veluti, cum dico: omne Ens est unum, est bonum. At hæc ipsa prædicata communissima dicimus Entis adfectiones, vel attributa, & hoc ex generali attributorum priorum naturâ, cujus requisita sunt (1.) *Distinctio*, ut affectio, (saltem formaliter) non sit idem cum suo subjecto, cujus est affectio. (2.) *Denominatio*, ut subjectum denominet, tanquam aliquid rei consequens. (3.) *Reciprocatio*, ut ratione suppositi retrocurrat cum subjecto.

2. *Rectène hæc communissima Entis attributa paronymica dicantur Entis Affectiones?*

Resp. Reperiuntur equidem non pauci, qui vocem attributi hoc loco affectionis appellationi præferunt: forte an veriti, ne voce affectionis essentia aliqua nova superaddi videatur. Verùm vanus est iste metus, si affectionis terminus debito modo ampliatur. Esto sanè, terminum affectionis olim illis duntaxat prædicatis paronymicis, quæ ex prædicamentorum classibus desumuntur, applicatum fuisse: tamen cum Entis attributa, æquè ac prædicantales affectiones, Ens subjectum suum proximè afficiant, nec non à posteriori & reciprocè denominent: nobis perinde erit, siue affectionum, siue attributorum appellatione venerint.

3. *Cur attributa Entis dicantur conceptus generalissimi?*

Resp.

Resp. Quia ob subjecti & affectionum adæquationem, non minùs, quàm ipsum Ens, generalissima sunt ejus attributa: cum nullum Ens dari possit, cui non vel simpliciter; vel sub disjunctionis respectu tribuantur. Ita dicimus: Omne Ens est verum, est bonum, &c. Et vice versà: Quicquid vel verum vel bonum est, illud omne Ens est. Rursus: Omne Ens est vel dependens, vel independens; est vel actus, vel potentia: & vicissim, quicquid vel dependens, vel independens, quicquid item vel actus vel potentia est, illud Ens est. Idem iudicium esto de attributis reliquis.

4. *Quomodo attributa Entis Ens denominent?*

Resp. denominant Ens in *suppositione non simplici; sed personali*: non tam quoad statum *universalitatis*, quàm quoad statum *fundamentalem*, seu quatenus in singularibus est radicatum. Sic unitas nō tribuitur isti conceptui summo Entis, sub istâ abstractione, quâ non est, nisi in mente; sed rebus ipsis, quâ in naturâ considerantur, & verum esse obtinent. Ex quo et illud patet, quod Entis affectiones ipsum quidem Ens, non verò Entis modos, quibus illud ad certam existendi rationem restringitur (veluti sunt: *subsistentia & inhærentia*) primariò, per se, & quâ tales sunt, denominent: cum modi in suâ formalitate præcisè Ens non includant, atque ideò nec prædicari de iis per se debeant.

5. *Num Entis affectiones à subjecto suo differant, & quomodo?*

Resp. Quandoquidem natura omnis affectionis postulat, (uti quæstione primâ insinuatum est) ut sequatur subjectum, non verò sit ipsum subjectum: ultrò sequitur, nec Entis affectiones simpliciter idem esse, quod ipsum Ens; sed ab eo certo modo distinguì. Caterùm, quia omnis *distinctio*. (id quod jam præsupponimus; suo verò loco evidenter probabimus) vel *realis*; vel *mentalis* sive rationis est: ulterius disquiritur, quomodo Entis affectiones ab ipso Ente differant. Heic verò dantur sententiarum.

divortia. Nonnulli enim afferunt, discrimen reale inter ens & ejusdem affectiones intercedere, si non propriè, saltem analogicè ale. Id quod alii his efferunt terminis: Differre ens, & ejusdem affectiones modaliter, & ex naturâ rei. Contrâ plurimis placet, eadem formaliter tantum, seu solâ ratione distingui. Quorum sententiâ et nos subscribimus. Si enim ens quâ tale præditum esset affectionibus realiter à sese distinctis, utique non posset prædicari de ente simplicissimo. Sed posterius est falsum: cum reverâ etiam Deus sit & dicatur, unus verus, bonus, &c. E. et prius. Huic accedit, quod attributa Entis *materialiter* sumpta ens ipsum includant, & sub inadæquato conceptu repræsentent, adeoque nec concipi quidem sine illo possint. Quomodo ergo ab ipso realiter distinguantur?

6. *Sintne affectiones Entis reales & positivæ?*

Resp. Etsi, ut dictum est, entis affectiones ab ente ipso reipsâ distinctæ non sunt: id tamen non obstat, quò minùs sano sensu & reales, & positivæ sint, & dicantur. Prius probatur. Quia nondum per mentis operationem ens fingitur esse unum, verum, bonum, &c. sed res quævis in se una, vera, bona est, etiam nemine mortalium tale quid cogitante. Ad quod tale est, id reale dicimus. Quod verò eadem positivæ sint, ex eo constat, quia aliàs reverâ nihil essent. Positivo quippe opponitur negativum. Negativum verò dicitur, quod negat essentiam. At negare essentiam, & nihil esse, idem sunt. Interim ultrò fatemur, realitatem & positivitatem illam, (ut ita loqui liceat) quam affectionibus entis tribuimus, non ex eò esse, quod enti novam entitatem superaddant: sic enim non evitaretur compositio in ente, quæ tamen ei transcendentaliter sumto repugnat: sed ex eo, quod ens ipsum implicent, & connotent. Sic unitas (v. g.) affectio realis & positivæ est, non ob divisionis negationem, quam enti superaddit; sed ex entitate, quam materialiter implicat; cum in sensu complexo nihil aliud sit, quàm entitas indivisa.

7. *Rectène*

7. *Rectène dividantur Entis affectiones, divisione primâ, in unitas & disjunctas?*

Resp. Non desunt, qui primâ divisione affectiones Entis in primarias & secundarias distinguunt; & illas postea in unitas, & disjunctas. Verùm quia tam in unitis, quàm disjunctis, & primi & secundi ordinis affectiones reperiuntur: propositam in præceptis divisionem præferendam ducimus: cùm certum sit omnia Entis attributa generalissima ad hæc duo capita revocari posse, quod alia sine oppositi illatione, & sic *unitim*; alia sub oppositionis respectu, & sic *conjunctim* cum Ente reciprocentur.

8. *Quomodo Entis affectiones inter se differant?*

Resp. D. Quædam differunt inter se formaliter tantùm; Illæ scil. quæ tantùm distinctæ sunt, non simul oppositæ, uti unitas, veritas, bonitas, &c. Quædam contra inter se differunt *realiter*, quæ propter oppositionis respectum in eodem subjecto simul esse non possunt: uti, actus & potentia; causa & causatum; finitum & infinitum, &c.

9. *An impossibilitas sit affectio Entis?*

Resp. N. Omne enim attributum Entis ponit *Esse*; non opponitur *non esse*: nisi quis absurdè velit attributum aliquod Entis facere contradictorium suo subjecto. Sed impossibilitas omnem Essentiam, tum actualem, tum potentialem tollit. Quod enim impossibile est, id neque essentiam habet, nec habere potest. E.

10. *Sitne universalitas affectio Entis?*

Resp. Negatur et hoc. *Quicquid enim reale non est, illud nec Entis attributum meretur dici*: cùm attributa Enti competant præter mentis operationem. *Sed Universalitas formaliter non est reale quid*: cùm res non sint universales, nisi per mentis operationem. E.

11. *Quot*

11. *Quot in universum sint unita Entis affectiones?*

Resp. Insignis circa hanc quaestionem occurrit sententiarum discrepantia, quas recensere omnes supervacaneum duco. Communiter tres faciunt unitas Entis affectionis: *Unitatem, veritatem, bonitatem*. Quartam his addit Dn. Scheiblerus, scil. *perfectionem*: quam tamen alii cum bonitate eandem faciunt. Alii contra non tantum perfectionem à bonitate distinguunt; sed et insuper dictis affectionibus *durationem & alicubitatem* adjungunt: Sicque *in universum sex* numerant unita Entis attributa: *unitatem, veritatem, bonitatem, perfectionem, durationem & alicubitatem*: licet eadem rursus non incommode in primaria & secundaria subdistinguant. Et huic ultimæ opinioni, salvo dissentientium judicio, non inviti nos subscribimus, hac freti ratione: *Quot sunt attributa generalissima, quæ Ens in sensu unito reciprocè denominant, tot & non plures sunt unita affectiones Entis. Sed non nisi sex sunt talia attributa, videlicet Unitas, veritas, bonitas, perfectio, duratio & alicubitas, E.* Major manifesta est ex descriptione affectionis unitæ Entis. Minori sua constabit veritas ex speciali unitarum affectionum tractatione.

12. *An benè distinguantur unita Entis affectiones in primarias & secundarias?*

Resp. Aff. Est enim affectionum harum ea varietas, ut quædam Entis statum magis intrinsecum exprimant, dum ejusmodi vel negationem, vel relationem connotant, quæ intimiori quasi complexu rebus juncta est: Quædam vero statum ejusdem quodammodo extrinsecum dicant, in quantum non tam *esse* rei definiunt, quàm fines *essendi* respiciunt, juxta quos vel in *esse* manet, vel alicubi esse dicitur. Illius generis affectiones primariæ; hujus generis secundariæ appellantur.

CON-

3. CONSECTARIA.

1. *Affectiones implicant ipsam essentiam.*
(scilicet realiter; non verò formaliter.)

Subjectum enim non est affectio; sed hæc ab eò ad minimum *non materialiter* distinguitur. At quia Entis affectiones ab hoc subjecto suo realiter non differunt: ideò à parte rei illud includunt. Hinc veritas (v g.) notat entitatem; sed conceptam cum respectu conformitatis ad intellectum divinum.

2. *Affectiones Ens respiciunt (non synonymicè; sed) paronymicè.*

Etsi enim ENS & ejusdem attributa *materialiter* conveniunt; non tamen *formaliter* idem sunt; sed de ipso *παρωνυμικῶς* prædicantur. Ideò non dico: Ens est unitas; sed, Ens est unum, est bonum.

3. *Affectiones non addunt Enti novam quidditatem.*

Ratio adducta est quæstione sextà. Idemque ulterius probatur ex eò, quia formale affectionum Metaphysicarum, sive propria illa conceptibilitas, quâ partim à subjecto suo; partim ab invicem distinguuntur, non est res quædam peculiaris: (sic enim suas vicissim haberet affectiones, atque ita processus fieret in infinitum) sed vel negatio; vel respectus quidam rationis. Ita *unitas* negationem divisionis notat; veritas respectum ad intellectum involvit, & sic porro.

4. *Affectiones recipiuntur cum Ente (vel unitim; vel disjunctim.)*

Unitæ scilicet affectiones cum Ente simpliciter recurrunt, disjunctæ non nisi sub disjunctionis respectu. Conf. Præcept. 3. & 4.

B

5. Affe.

5. *Affectioes sunt posteriores essentiâ (non quâ rem; sed quâ conceptum.)*

Prædicamentalia quidem attributa naturâ etiam subjectis suis posteriora sunt, uti, v g. docilitas hominis essentiâ re est posterior: cum ab hac tanquam subjecto suo essentialiter dependeat. Sed diversa est affectionum transcendentalium ratio. Hæc, cum à subjecto suo reipsâ non distinguantur; nec tamen essentiâ ipsam, juxta præcisam & formalem rationem, ingrediuntur: quò ad nostrum saltem concipiendi modum Enti posteriores sunt, in quantum una & eadem res in alio atque alio naturæ momento considerata sistitur.

6. *Affectioes imitantur naturam Entis.*

Sensus axiomatis est: Affectioes ita prædicantur de Ente, quemadmodum ratio propria Entis, cui tribuuntur, postulat. Quare ut Ens finitum & infinitum non nisi *ἀναλόγως* in conceptu Entis conveniunt: ita quoque non nisi analogica est attributionis ratio, quando unitas, veritas, bonitas, vel alia attributa Deo & creaturis tribuuntur. Deo enim Enti infinito illa & similia prædicata sub infinitâ & eminentissimâ ratione vendicantur: creaturis verò non alia, quàm finita bonitas, perfectio &c. adscribitur.

7. *Affectioes non sunt contradictoriae suo subjecto.*

Hinc impossibilitas rectè negatur esse affectio Entis: quia repugnat naturæ Entis: cum omne esse excludat. Conf. quæst. 9.

8. *Affectioes Enti conveniunt, non Entis modis. (scil. (1.) in abstracto: (2.) per se & primariò.)*

Modi Entis hoc loco dicuntur, quævis prædicata transcendentalia, quæ Ens in communissimâ attributione *παρωνύμως* afficiunt. Ejusmodi Entis modi considerantur vel (1.) *abstractè* in præcisâ suâ formali ratione; vel (2.) *concretè*, quatenus simul implicanc

plicant essentiam, quam modificant. *Priori* respectu, quia essentia contradistinguntur, ideò nec de eà prædicantur: cum affectiones transcendentales prærequirant essentiam, ceu attributa subiectum, nec sine eà esse possint. Hinc non possum dicere: unitas est veritas; aut veritas est bonitas. Posteriori tamen respectu, quatenus *concretè* spectantur, rectè omnino affectiones Entis ipsis affectionibus seu modis Entis aliis tribuuntur, non quidem primariò, & per se, tamen secundariò & propter aliud. Ita verè dico: Omne finitum est creatum, est dependens: Quoddam unum est compositum: Quoddam unum est simplex; utut attributum Entis unum enunciatur de alio.

Omnia ad Dei Gloriam.

Paragramma Caballisticum.

ad eximium & litcratiss. Dn. Resp.

Matthias Heinzelius Pannonius. 2631.

Emergit per Cabbalam Gematriam in Δ

Ibona ad astra Deæ Ascrae precor, I pede fausto.

2631.

* * *

C Are Menætiades nostri pars maxima cordis,
Flos patriæ, spes Pannonici fidissima regni,
Virginis Ausonidum cultæ præclara propago,
Entis dum Clariis monstras Affectio quid sit
Discipulis, nervosè dogmata falsa refutans;
Hæc Charis & Pylades, canit hæc Grynæus Apollo,
Vota tibi sincero Cabbalistica corde.

Ibona

Ihona ad astra Deæ Ascrae precor, I pede fausto!
Laude coronatus Prytanæum scande sacellum,
Hinc letus properes ad Dia Lycea Deorum.

apposuit amoris & honoris ergo
amica manus

Tobie Schumbergii,
Ireiwaldensis Pannonii.



πρὸς τὸν ἀπαμειβόμενον.

Φιλοσοφείν ὀρθῶς ὅτις ἀτρεκέως ἴσθιμιεῖ,
τὸν γρηῃ, τὴν ΣΟΦΙΗΝ ΠΡΩΤΗΝ μάλα πυκνά δαίναμα
ΜΑΤΘΙΑ, ἐνθουμάμενος ἐν σὺ ἤπερ ταῦτα,
Μὴ μόνον ἐσθ' ἀδαζες αἰεὶ σοφίην περὶ ταύτην,
ἀλλὰ καὶ ὄτραλέως ὑπερ' αὐτῆς νῦν εἰ αἰμύνας.
Ἄλκιμος γὰρ ἔσο νῦν ἵνα εὖ εἴπωσί σε πολλοὶ,
καὶ ἔχη ἡ πατρις ἡμεῖων πατὴρ σάφρονα φῶτα.

Quod, ut eveniat, ολοκαρδίως
precatur

Adamus Siergf / Hodrusch-
Schemnic. Ungarus.

FINIS.

Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

V3 17







B.I.G.

Farbkarte #13



34

Subeat JEHOVA!
METAPHYSICARUM
T A
GENERALIS
RTIUM,

AFFE

N GENERE,

DE

E Müllern/
Colonienfis

RE,
di gratia,
ymnafii Condifcipulis

n proponit
Decembris
matutinis,
Christiane

LVI.
EINZELIUS,

garus,
DENS.

inà RUNGIANA. 10

monialis fimo vero Judem,
cipulo et amico amicorū amicis/

Handwritten signature and date: Habt III. 1958

